



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De cura & potestate patriarchae in episcopos & archiepiscopos sui patriarchatus: & de primatu episcopi Romani in omnes. Capvt XXXIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

*De cura & potestate patriarche in episcopos & archiepiscopos sui patriarchatus: & de primatu episcopi Romani in omnes.*

## CAPVT XXXIX.

Consideret patriarcha ea quæ archiepiscopi & episcopi in prouinciis suis faciunt; & si quid reperiat secus quam oporteat factum, mutet, & disponat, prout sibi videatur; siquidem ipse est pater omnium, & illi filii eius. Et quamuis sit archiepiscopus inter episcopos tamquam frater maior, qui curam habet fratrum suorum, & ei debeant obedientiam, quia præest; est tamen patriarcha iis omnibus qui sub potestate eius sunt, sicut \* ille qui tenet sedem Romæ, caput est & princeps omnium patriarcharum; quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit vicarius Christi Domini nostri super cunctos populos & vniuersam ecclesiam Christianã. & quicumque contradixerit, a Synodo excõmunicatur.

\* Similis est hic Canon sexto eiusdem Synodi Nicænæ, & eandem auctoritatem, hoc est, summã esse in episcopo Romano principe omnium patriarcharum, & ob eandẽ causam, scilicet propter formam, quam habet episcopus Romanus relictã a sanctis apostolis, vt sanctus Anacletus in epist. 3. diuine explicat. formam enim quam sancti apostoli inter se habebant, vt ait idem Anacletus, suis successoribus, scilicet patriarchis, & metropolitanis, & reliquis episcopis reliquerunt: vt sicut beatus Petrus reliquis apostolis præfuit, sic iidem sancti apostoli statuerunt, vt omnes episcopi singularum nationum suum primum haberet, iuxta Canonem apostolorum 34. quare consequens necessario est, vt sicut apostoli beatum Petrum caput habuerunt, sic successores apostolorum, qui sunt patriarchæ, & infra patriarchas metropolitani, & infra metropolitanos reliqui episcopi, successorem beati Petri, id est, episcopum Romanum principem & caput agnoscant, & habeant, vt hic Canon profitetur, cum eum principem omnium patriarcharum vocat, & primum esse dicit, sicut fuit beatus Petrus, cui in omnes Christianos data est potestas: quo testimonio nullum luculentius neque grauius a Synodo Nicæna dari potuit.

*Concil. Tom. 2.*

Mm